

§. XVII.

Non corporis organis, sed animo gustari potest bonum dei verbum, ergo quilibet facile concedet, quod vocabulum *γέυειν* eandem hic tueatur notionem, qua adhibetur ab Apostolo commate praecedente, quodque idem sit ac *animo experiri seu percipere*, confer quae de hoc vocabulo (§. XIII.) fuere dicta, ergo *γέυειν καλὸν θεῶ ἡμᾶ* est *bonam doctrinam evangelicam in animo experiri, bonitatem eius percipere*. Nec tamen qualiscumque, vel levis boni dei verbi perceptio hic inuitur, ii enim, qui vere fuerunt illuminati, ac de veritate evangelica intime fuerunt conuicti, (§. XII.) qui quaeuis dona diuina spiritualia intime fuerunt experti (§. XIII.) in quibus sanctissimus dei spiritus habitauit, ac operationes suas exseruit, (§. XV.) de quibus hic sermo est, hi sane non extremis saltem labris, sed intime, ac efficacissime in animo experti sint evangelicae doctrinae bonitatem necesse est. Cum ergo Euangelii bonitas in eo potissimum sit sita, quod supra iam fuit dictum, vt de peccatorum remissione per Christum obtinenda, de gratia dei, de bonis spiritualibus aequae ac temporalibus ab immensa dei misericordia impetrandis, ac de aeterna denique vita per Christum obtinenda nos reddat certiores; ex iis quae in medium sunt prolata, quilibet facili colliget negotio, quod per *γευσσάμενης καλὸν θεῶ ἡμᾶ* non nisi ii possint intelligi, qui bonitatem atque efficaciam evangelicae doctrinae, in sacris litteris traditae; in animis suis intime fuere experti, qui per eam de gratia dei, de condonatione peccatorum intuitu meriti Christi obtinenda, ac de aeterna beatitate per fidem in Christum impetranda, intime fuere conuicti, ex quo